

- 4 *Is cui aliquid ad arbitrium committitur, habet pro se presumptionem optimam elegisse.*
- 5 *Arbitrium regulatum non est, si concedatur facultas absoluta.*
- 6 *Maxima negotia ex assidua inconstantia subvertuntur.*
- 7 *Ex duabus iacturis, minima eligenda venit.*
- 8 *Causæ impulsivæ defectus, non vitiat dispositionem.*
- 9 *Arbitrium absolutum concessum post expressionem conditionis, facultatem omnimodam tribuit.*
- 10 *Causa qualibet excusat à crimine, vel pœna.*
- 11 *In bello qui mandata non servat, gravi pœna plectitur.*
- 12 *Navarchus jure militari adstringitur.*
- 13 *Fiscales res suscipiens, pœna gravissima plectendus, si mandata transgressus sit.*
- 14 *Distractio rei fscalis necessariè sequitur ex appulsione ad sinum Gaditanum.*
- 15 *Preceptum Regium detrectans, qua pœna puniatur legibus Hispania.*
- 16 *Quid de jure divino, sive ex testimonio sacrae Scripture.*
- 17 *Legis Regiæ transgressor, aequali pœna plectendus, ac violator legis divinae, ut eluceat divini Spiritus præceptum, quoad observantiam regiarum iussionum.*
- 18 *Exempla divina ultionis in transgressores præcepti, ut ab honoribus rejiciantur.*
- 19 *Arbitrium in rebus magni momenti, semper censetur regulatum, ratione naturali, & iustitia.*
- 20 *Facultas absoluta, juxta conscientiam, zelum, & experientiam, eandem regulationem expressè commendat.*
- 21 *Arbitrium absolutum regulatum voluntati, quid importet?*
- 22 *Quid autem, quando verba rationem respiciunt?*
- 23 *Facultas absoluta secundum conscientiam, rationem naturalem, atque iustitiam, publica lege munitionem respicit.*
- 24 *Conscientia respicit sinceritatem juris naturalis, & incorruptam fidelitatem, qua in servando constanti veraci fide consistit.*
- 25 *Zelus variè ab auctoribus utriusque litteraturæ sumi solet.*
- 26 *Zelus secundum subjectam materiam, in nostra specie pro amore erga Principem, & utilitatem publicam sumi debet.*
- 14 *Text. in d. l. unic. in princ. ff. nihil in novar. ut expressè probat Textus, in l. si res 7. ff. de appellat. recipi, ibi: Si res dilatio nem non recipiat, non permittitur appellare: notat plurimis relictis Salgado, de Regia protecl. 3. p. c. 1. n. 70. quamvis hujus Textus mentionem non fecit.*
- 15 *Neque ex eo, quod ab exercitio officii removeatur, evanescit effectus supplicationis: nam ea quoad devolutivum admittit, casu quo obtineret, facilius reintegratio in ipsius officii exercitio erit quam si nequitia comprobata succumberet, miseris Indi ab oppressione liberari poterant. Et cum hoc respiciat publicâ illius Provinciae utilitatem, illud verò privatam, hanc illi cedere æquius videbatur, juxta Textum, in l. si qui in gravi, §. utrum, ff. ad Syllanian. cum vulgatis de quibus Giurb. conf. 49. n. 26. Ex quibus suspensio ab officii exercitio rectè procedit, etiam si iactura aliqua rei subsequatur; præsertim si hujusmodi suspensio non fiat per modum executionis sententiae, sed secundum stylum consilii, per modum præventivæ dispositionis, nempe provisionem, seu litteras affluetas expediendo, quod minus honorem rei lædit, quam si sententia privationis formiter executioni mandaretur: sic decisum fuit per Senatum interlocutoria diei 12. Maii anni 1669. Et quamvis ea lata procurator rei comparuit cum sufficienti mandato, & causam supplicationis prosecutus fuit, sententia fuit conformata, & supplicatio ab interlocutoria non recepta.*

## CONTROVERSIA LXIII.

De Navarcho præceptum detrectante,  
& de pœna.

## SUMMARIUM.

1. Facti narratio, & n. 2. & 3.

- 27 *Experientia mater prudentiæ dicitur.*
- 28 *Periculum maris per legem prænotum, non excusat.*
- 29 *Arbitrium absolutum, licet concedatur, non excusat à lata culpa, & dolo.*
- 30 *Dolus conjecturis, & præsumptionibus probatur, quia latet in animo.*
- 31 *In dolo est, qui leges quas non ignorat, transgreditur.*
- 32 *In dolo est, qui ter monitus à Judice, non obtemperat.*
- 33 *In dolo est, qui peritorem in arte dicta contemnit non consulendo peritiores, quos in promptu habet.*
- 34 *Judex licet peritus sit in aliqua arte, non potest iudicium sumere ex sua peritia.*
- 35 *In dolo est, qui omittit ea qua facere tenetur.*
- 36 *Dispositiones interpretari debent, secundum ea qua narrantur in præmio.*
- 37 *Causa finalis, qua dicatur.*
- 38 *Causa finalis, in dubio censenda est apposta in dispositione.*
- 39 *Causa qualibet apposta per Principem in conclusione præsumitur finalis.*
- 40 *Cessante causa exceptionis, cessat & ipsa exceptio.*
- 41 *Apposta in principio dispositionis, insistent in omnes illius partes.*
- 42 *Conditio inducitur per dictionem si apposta in dispositionis forma.*
- 43 *Cuncta contenta in ea oratione in qua adest dicta dicitio, conditionalia sunt.*
- 44 *Qualibet causa non excusat à dolo, ut quando nititur in errore juris notorii.*
- 45 *Etiamsi error sit contra civilia jura.*
- 46 *Quando agitur de pœna pecuniaria.*
- 47 *Quando agitur de contemptu Magistratus.*
- 48 *Quando non venit imponenda pœna ordinaria.*
- 49 *Decisio Senatûs.*

**R**EGIA constitutione antiquitus promulgata, per plures annos ad unguem executioni deducta, ac tandem renovata Regio decreto seu scripto, diei 27. Maii anni 1664. cautum reperitur, quod classes, & navigia ex Indiarum Regnis ad nostram Hispaniam appellerent, Præfecti, Navarchi seu Naucleari, teneantur, ingredi portum Astæ sive ut vulgè dicitur de San. Lucar: ita ut ex solo appulsu ad alium portum, seu oram, incurrat quilibet eorum pœnam sex mille aureorum, exigendorum prius quam

D. D. Laur. Mathan, de Re Crim. Pars II.

audiantur, ultra pœnas severiores ab eis exigendas, secundum facti qualitatem, ejus scripti verba tradit Don Josephus Veitia Linage, in nov. contr. post hæc scripta editus, libro secundo capite 4. numero 21.

Navarchus, de quo agimus, dum classem ducere suscepisset, ab Hispanis otis, ad continentem Novi Orbis, mandata Regia suscepit, ut moris est, in quorum decimo quarto capite ei imperabatur: Quod tempore reditus teneretur ingredi portum Astæ, sive de San. Lucar cum omni classe & navibus onerariis, ita ut minimè pateretur aliquam ex illis deviare ad litus Gaditanum, adimplendo prælibatam Constitutionem anni 1664. curandæque rigidas observationem illius, absque eo quod indulgeret alicui diligentiae conducenti ad prælibatum finem, ex summa necessitate ingrediendi dictum portum. Et supposito quod solvenda classis erat antequam mensis Maius ingrederetur, sicut in mandatis habebat, credebatur quod reditus ad Hispaniam poterat evenire ad ingressum stationis hibernæ: ob quod fidei ipsius committendo, quod si esset possibile, & ritum procuratoris erat ingredi cum classe in sape dicto portu: nihilominus ad uberiorem securitatem classis, pro hac vice ei concedebatur, quod si tempus fuerit ejus conditionis, ut non possit capi portus de San. Lucar tunc, ingrederetur sinum Gaditanum, relinquendo sicut relinquerebat conscientia, zelo, & experientia ipsius Navarchi, facultatem absolutam utendi hac permissione, quia certe credebatur, quod executioni deduceret, id quod magis expediret.

Classem solvit (non ut iustum fuerat antequam mensis Maius ingrederetur) sed die 10. Julii subsequentis, & sic regressus non fuit, ut credebatur; ad initium stationis hibernæ, sed die 30. Maii anni sequ. mare tranquillo, atque in statione opposita cum jam stativa inciperet. Ex iudicibus Regiæ Audientie Contractationis Hispanensis unus, qui classem suscepturus erat, prout de more fieri solet, aderat in littore cum Naucleariis peritis in ingressu portus, qui ter monuit Navarchum, ut ad portum appelleret: at ille periculum ingrediendi affectando, cum classe Gaditanum sinum ingressus fuit, non obstante quod periti securum ingressum attestabantur, sine eo quod peritiores adhibuisset, neque de temporis tranquillitate dubitasset. Bellicas naves in sinu ingredi fecit, sed mercantiles in portu fe-

Q9 curè



eurè introduxerunt periti, sicut promiserant; quarum aliqua ejusdem magnitudinis erant, quia inter naves rostratas, sive bellicas, vulgò *Galeones*, aliquando annumeratæ fuerant, ex quibus comprobabatur peritorum assertio, quoad securitatem ingrediendi.

De inobedientia Navarchus accusabatur, qui contendeat absolvendum fore; quia libera facultas ei concessa fuit committendo suæ conscientiæ, zelo, atque experientia modum appulsus, & ingressus; & præsumi debebat executum fuisse quod magis expedire crediderat ad tuitionem classis: ex Text. in *Clement. quia contigit*, §. ut autem de religios. Dom. & in *Clem. 1. §. si quod de heret.* Gloss. in c. statutum, §. assessorem verb. relinquatur, de rescript. in 6. & Gloss. in *Clem. 1. §. diucessanus in fin. verb. oneramus de jur. patron.* D. Solorzano, de *jur. Ind. lib. 2. c. 7. n. 11. & lib. 3. c. 10. n. 56.* Barbof. *clausul. usufr. 24. n. 7. & lib. 2. vot. decis. 39. ex n. 44.* Sigism. Scaccia, de *appell. q. 16. conclus. 15. num. 3.* Menoch. de *arbitr. lib. 1. q. 8. n. 40.*

Nec arbitrium sive facultas, relicta Navarcho regulata dici poterat ad casum necessitatis, tum quia in ipso c. 14. reperitur verbum *facultatem absolutam*, quod denotat nullis necessitatis regulis, adstrictam facultatem, sed omnino dependentem ex mera voluntate ipsius; Text. in l. *fideicommissa 11. §. si fideicommissam, vers. quanquam, ff. de legat. 3. l. fideicommissaria libertas, ff. de fideicom. libert. l. cum quidam, ff. de legat. 2. l. 29. tit. 9. p. 6.* Bartol. in l. 1. ff. de legat. 2. Decius, in l. in personarum, §. generaliter, n. 2. ff. de regul. jur. Menoch. de *arbitr. lib. 1. q. 8. n. 12. & cons. 87. n. 19.* D. Molina, de *Hispan. primog. lib. 2. c. 5. n. 1. & 14.* & ibi Addentes *Surdus, decis. 10. n. 50.* Marc. Anton. *var. lib. 1. resol. 47. n. 8.* Marefcot. *lib. 1. var. c. 22. n. 30.* Castil. *contr. lib. 4. c. 36. n. 47. & lib. 5. c. 67. n. 3.* D. Larrea, *allegat. 40. n. 9. & allegat. 75. n. 8.* Præmaximè cum de rebus maritimis agatur, quarum inconstantia omnia subvertuntur. Text. in l. 1. tit. 24. part. 2. Bald. *consil. 395. n. 1. vol. 2.* Elstracca, de *navis, navibus, & remis p. 3. n. 7.* eleganter Seneca, *epistol. 4. ibi: Momento mare vertitur, & eodem ubi Inserunt navigia 7 sorbentur.* Ad cuius rei comprobationem aliqua exempla memorabantur de periculo ingrediendi prælibarum portum, ex quibus prudentiæ dictum cliciebat, ne similia pericula tentarentur. Et quamquam damnum publicæ utilitatis, & æra-

rii ex appulsione ad Gaditanum sinum negare non fuit ausus, rectè fecisse asserbat, tanquam minimum eligendo, juxta doctè perpena per D. Don Didacum de Saavedra, *symbolopolit. 33. per 101.*

Tum etiam, quia facultas, seu arbitrium Navarcho concessa, neque limitata ad tempus reperiebatur, cum mentio stationis hibernæ, in dispositione non fuerit apposita per modum causæ, neque per modum conditionis, sub qua facultas illa concederetur. Licet enim in narrativa, d. c. 14. de reditu tempore hiberno tractetur, non per modum causæ finalis, sed impulsivæ id factum fuit, ut verba demonstrare dicebat, & sic ex ejus defectu, non defecisse dispositionem, liberam facultatem concedentè concludebat, juxta Text. in l. cum tale, §. falsam, ff. de condit. & demonstrat. & notata per Baldum, in l. fin. C. de fals. caus. adjct. Tuschum, *conclul. 62. lit. T. n. 36.* Molin. de *rit. nup. viar. lib. 3. q. 21. n. 10.* Mantie. de *conject. ultimar. volum. lib. 3. tit. 22. num. 16.* Fontanel. de *part. nup. claus. 4. gloss. 1. n. 27.* & D. Larrea, *allegat. 71. n. 3.*

Quo ad conditionem, quia verba apposita, in d. c. 14. ibi: *Quod si tempus fuerit ejus qualitatis, ut non sumi possit portus de San Lucar securè, sumatur sinus Gaditanus*: quæ important conditionem secundum Bartol. in l. 1. ff. de condit. & demonstrat. ubi communiter Doctores, destruebatur ex verbis subsequentibus ejusdem dispositionis in quibus facultati absoluta Navarchi relinquebatur modus, & forma appellendi, atque sumendi portum, vel sinum. Quare culpa ex eo imputari non poterat, dum usus fuit libera facultate, sibi concessa in posteriori parte dispositionis, præcipue dum criminaliter ageretur, cum ad excusandum à pœna, quælibet causa sufficiat, Text. in l. igitur, vers. generaliter, ff. de liber. caus. pluribus adductis Farin. *q. 90. num. 1. cum seqq. Julii. Cartar. decis. 1. n. 37. & decis. 44. n. 38.* Petr. Caball. *cas. 101. n. 18.* Valençuela, *consil. 162. n. 34.* Præcipue cessante dolo, nam ex ipso facto deprehendebatur sibi permissum credidisse virtute facultatis absolutæ, in d. cap. 14. concessæ. Quæ corroborabantur attentæ qualitate Navarchi, cum ipse fuisset primus qui antiquam consuetudinem instaurando paruit, constitutioni, anni 1664. & sæpè dictum Portum ingressus fuit; sicque præsumendum pro eo ex Text. in l. famosi, §. hoc tamen, ff. ad leg. Jul. majest. &

in l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit. latè Dom. Valençuela, *consil. 163. num. 92. & consil. 164. n. 61. & consil. 166. num. 19.* Capicius Larro, *decis. 179. n. 66. ubi plura.*

Verum his non obstantibus, pro acuatione urgebat decisio Text. in l. desertorem, §. in bello, ff. de re milit. ibi: *in bello qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit capite punitur, etiam si res bene gesserit.* Docent communiter Doctores, in eo Text. Tiraquell. plura exempla adducens, de *pæn. temper. caus. 32.* Ayala, de *disciplin. milit. lib. 3. c. 10. n. 5.* Jul. Clar. *quæst. 60. vers. solet dubitari.* Cabal. *casu 294. ex n. 164.* Farin. *q. 97. n. 1. per plur. seqq.* Calixtus Ramirez, de *leg. Regia §. 32. num. 26.* Lipsius, de *milit. Romana, lib. 15. dialog. 18. in princ.* Neque dubitari potest quod jure belli Navarchus judicandus erat, cum Imperator, sive Dux supremus classis instructæ reperiretur: sic docet Ulpianus, in l. unie. §. 1. ff. de honor. possess. ex test. in milit. & notat Gaballus, d. cas. 294. num. 19. Cum autem præceptum de quo agimus, non solum sit supremi Ducis, sed ipsius Regis, & illud non servaverit, pœnæ se subdidisse dicendum est.

Et quamvis concedamus, non contempsisse præceptum imperiosem militarem disciplinam, ex eo solo quod res fiscales deportandas suscepisset, eadem pœna tenebatur. Text. in *l. qui fiscales 7. Cod. de navicul. seu Nautic. lib. 11. quo Textu Imperatores Theodos. & Valentin. sic rescripterunt: Qui fiscales species suscepit deportandas, si recta navigatione contempna, littora devia sectatus, ear averrendo distrahit, capitali pœna plectatur.* Quod à recta navigatione deviasset, ex facto ipso, & ex instructione sibi data, comprobabatur: cum teneretur ex videtæ constitutionis appellere ad portum memoratum: & ex dict. cap. 14. tenebatur nullam omittere diligentiam, ut dicta constitutio observaretur. Quod res fiscales distraxisset ex confessione ipsius resultabat, cum damnum illatum rei fiscali non ausus fuit negare: ultra quindecim milia millium aureorum in ea classe adportata fuisse asseruit; quanta autem jactura Fiscus affectus fuit, ex eo deprehendi valet: nam sinus Gaditanus omnibus alienigenis patet, & cujusvis custodiæ incapax est; Portus verò tanquam serinium claudi potest.

De jure nostro per Text. in leg. 16. D. D. Laur. Mathian, de *Rè Crim. Pars II.*

tit. 13. p. 2. cautum reperitur, quod præceptum Regis detrectans, si vir nobilis sit, amittat quidquid ex Rege obtinuit, & bona ipsius occupentur, quo usque sicut damnum sibi illatum recuperet: plebeius autem capite puniatur. Cum quibus congruit Text. in c. 2. de major. & obed. quo summus Pontifex verba sacre paginæ desumendo, ex lib. Regum, quæ pœnam capitalem imponunt transgressori justionis Regiæ. Et ad rem alius Textus melior, meo quidem judicio, Efdra, lib. 1. cap. 7. vers. 26. ibi: *Omnis qui non fecerit legem Dei, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.* Quo loci sacri Expositores notant prudenter legem Regis cum lege Dei, quoad pœnam æquatam fuisse, in transgressores: ut divini Spiritus præceptum eluceat, quoad necessitatem parendi, atque observandi justiones Regiæ: nam cum justionibus ipsius Dei coæquatæ in hac parte reperiantur. Notant ex nostratibus Gregor. Lopez, in d. l. 16. Didacus Perez, in l. 13. tit. 15. lib. 8. Ordin. Azevedo, in l. 2. tit. 8. lib. 8. recopil. n. 2. & D. Solorzan. de *jur. Indiar. lib. 2. cap. 23. n. 79.* & Barbofa, in d. c. 2.

Neque ex Politicis catholicis desunt qui hanc ipsam conclusionem teneant. Unus pro cunctis, quia ex nostratibus, & inter Neotericos primatum obtinet, sit Pater Joannes Marquez, in *gubernat. Christ. lib. 2. c. 27. §. 2.* quo perpendens ultionem quam Deus sumit de Moyse, ex eo quod dubitaverat percutere petram sicut Dominus jusserat, ex ea sola hæsitante, licet alioquin Ministrum justum, fidelissimum, atque prudentem per quadraginta annos expertum habebat, illic eum vita, & officio privavit. Quia qui serviunt Principibus in supremis Magistratibus, officio privandi sunt, quoties in obedientia deficiunt; ut factum cernimus ab ipso Deo, qui Heli summo Sacerdotio privavit ob defectum obedientiæ filiorum. Saul Regno spoliatus fuit, quia non paruit justioni de interimendo Rege Agag. Et quod magis est, Propheta ille, qui tanquam Dei Legatus missus fuit ad Jeroboam, licet eum monuisset, & altaria dissi passet, ex defectu parendi in minima circumstantia justionis, nempe non comedendi in ea urbe, ad bestias damnatus fuit, & sententia statim executæ. Nec mirum, quia in his non datur parvitas materiæ.



19 Absque eo quod deducta pro reo eum à pœna excusare possent. Non primum, nam eo ipso quo commissum fuit ejus conscientia, zelo, & experientia, non obtinuit liberam facultatem, ad libitum voluntatis, eligendi Portum, vel finum; sed imò necessariam obligationem sequendi rationem naturalem, atque justitiam publicam lege munitam, ut probat Text. in l. *illicitas*, §. *veritas*, ff. de offic. Præs. pluribus relatis Augustin. Barbof. de *clausul. usu freq. claus.* 25. numero quinto. Nam similis facultas, arbitrium boni viri denotat ex Menoch. de arbit. q. 8. n. 40. Mascar. de probat. concl. 414. & aliis, idem Barbofa, ubi proxime, num. 9. Cùm autem absque ulla tempestatis suspitione, aut mutationis temporis periculo, in sereniore anni statione, in media maris tranquillitate, bonus vir quilibet, neque ab obedientia se subtraheret neque ab ingressu portus abstineret, & lex naturalis, justitiæque præcepta parendi Superiori necessitatem imponunt, dum non adesset causa extra ordinem rerum, non poterat impunè ab executione jussionis deviare, quibus extantibus omnem præsumptionem cessare est compertum.

20 Secundum pariter non obstat: nam facultas absoluta concessa Navarcho non fuit simpliciter ad libitum voluntatis, sed regulata ad justæ rationis dictamen, sicut verba demonstrant, ibi: *Dexando à vuestra conciencia, zelo y experiencia facultad absoluta.* Ita ut facultas non Navarcho, sed ejus conscientia, zelo, & experientia commissa fuerit (quæ quid importent statim dicemus.) Et adhuc si juxta voluntatem, fuisset concessa, rationabili voluntati, non stolidæ, aut cerebrinæ commissa facultas videretur, Text. in l. *fidei commissarii*, quamquam, ff. de legat. 3. ibi: *Non enim plenum arbitrium dedit heredi, sed quasi bono viro commissum relictum.* l. 1. ff. de usur. ibi: *arbitrio judicis usurarum modus constituitur, ita tamen ut legem non offendant.* l. *vir bonus* 18 ff. judic. solvi, cap. nunc autem ubi præposit. 21. distinct. Baldus cons. 177. numero 4. vol. 1. Alex. consil. 33. numero 3. lib. 1. Socin. Jun. consil. 49. numero 16. libro 2. Cravet. consil. 612. num. 11. & consil. 657. numero 16. Menoch. consil. 69. numero 4. & 5. de arbit. d. qu. 8. per tot. Tuschus, concl. 470. numero 2. litt. A. D. Valençuel. consil. 92. n. 106. D. Molina, d. c. 5. ex n. 15. per plur. seqq. (quo exempla electionis nullæ, etiam libera facultas eligendi relicta, sit, doctissime adducit) & n. 49. ubi Adden-

tes Carleval. in *Jud. tom. 2. tit. 2. disp. 3. n. 27.* Castillo, d. lib. 5. c. 67. n. 5. vers. in *secunda verò specie*, & D. Larrea, dict. allegat. 40. num. 30. cum seqq.

Et si res accuratè inspicatur, euncti 21 ferè Doctores pro reo adducti, loquuti fuerunt in terminis facultatis relicte ad liberam, & absolutam voluntatem: quod est valdè diversum. Nam in hoc casu mirum non est, quod secluso dolo, fraude, vel corruptela, sit pro ratione voluntas, præsertim cùm hoc contingat in dispositionibus particularium, & in rebus ex quibus sequi non valet præjudicium statui publico. Nos autem discernimus in terminis dispositionis Regiæ desumptæ cum matura Senatus deliberatione, in re in qua summè de re publica agitur, & in terminis arbitrii sive facultatis concessæ, non secundum voluntatem absolutam Navarcho; sed, ut dixi, regulatam conscientia zelo, & experientia, quod est idem, ac si diceret, rationi, æquitati, justitiæ, seu verius utilitati publicæ, cujus maximopere interest, quod securè classis ducatur, & ea reducta ingrediatur portum Astæ, ut Doctores superius adducti pro hac sententia dilucidè probant. Signanter Dominus Molina, ubi prox. ibi: *Verba autem ex quibus comprehenditur electionem non in meram voluntatem eligentis, sed in ejus arbitrium commissam fuisse, hæc sunt veluti si majoratus institutor electionem commissi alicujus arbitrio, judicio, discretioni. Vel ita ut electionem faciat prout sibi visum fuerit, vel plauerit, vel arbitratus fuerit, vel similia.* Sequuntur Ad-dentes, ibidem, & Castillo, dict. numero 5. vers. in *secunda verò*, ex Textu in dict. leg. cum quidam, ff. de legat. 2. leg. cum pater. §. rogo, ff. eodem, leg. utrum, §. cum quidam, ff. de reb. dub. In hac enim specie, nil relictum voluntati Navarcho reperitur, sed conscientia zelo, & experientia ipsius, ut ex capite 14. de instruct. superius traditæ, resultat.

23 Conscientia enim, ut dixi, ex Textu in dict. leg. *illicitas*, §. *veritas*, ff. de offic. Præs. rationem naturalem, atque justitiam publicam lege munitam sequi tenetur, ut docent plures laudati per Barbof. d. claus. 25. num. 5. Poteritne aliquis credere, quod juxta rationem operatus fuit Navarchus, qui dum iustum habebat quod nulli diligentè parceret ad ingrediendum portum, neque minimam adhibuit ad eum omitendum? Habuicne præ oculis Justitiæ publicæ lege muni

munitam, qui legem expressam cui jam patuit, dispexit necessitate ingrediendi Portum contemendo: si enim conscientia hæc ex fide erga Regem, & utilitatem Regni pensanda est, secundum conscientiam operatum fuisse dicemus, ingentem thesaurum cupiditati exterarum gentium in Gaditano sinu exponendo? Conscientia namque respicit sinceritatem juris naturalis, incorruptamque fidelitatem, quæ in servando constanter veraci fide consistit, ut docet Thomas Carleval. de *judic. tom. 2. tit. 3. disp. 3. num. 8. ad fin.*

25 Zelus licet variè ab Scriptoribus utriusque litteraturæ sumatur, ut scribit Divus Joan. Chrysofomus, *Hamil. 23. in 2. ad Corinth. in princip.* sumi debet pro amore & affectu, ut docet Sanctus Augustinus relatus in cap. si peccavit 19. 2. quæst. 1. & in cap. quid crudele 4. 4. 23. quæstione 4. Et sic sapius in bonam partem, ut tradit Divus Hieronymus, in *Nabum*, cap. 1. in *prin.* plura testimonia sacrarum Scripturarum tradendo. Sic namque juxta Divum Thomam, de *regim. Princip. libro 3. capite 4.* qui referens virtutes propter quas Romani meruerunt dominium Orbis, eas ad tres reducendo ait: *Una sumitur ex amore Patriæ, alia verò ex zelo Justitiæ, tertia autem ex zelo benevolentie civilibus:* quæ comprobat plurimis exemplis, ita ut zelus idem sit atque amor, idem tenent Petrus Gregor. de *republic. libro 13. capite 6. per totum.* Petr. Perez de Saaved. in *tract. de zelo divin. & human. parte*, cap. 4. & 5. Patet Marquez, in *gubernat. Christ. libro 1. capite 6. §. 3. & capite 29. §. 2. ad finem.* Amoristius Navarcho, sive referatur ad Principem, sive ad publicam utilitatem perspicuè suavisse crederem affectum contentam circa executionem jussionum, quam circa abusum facultatis concessæ, cùm hæc solum respiciat voluntatis absolutæ executionem; ille verò implementum mandati ad utilitatem publicam additum. Nam cùm nemini ignotum sit versari in ingressu portus, dum in eo ingressus non fuit, oblivioni tradidit quicquid zelus, vel amor suadebant.

27 Experientia quidem, est ars artium; cùm sit mater prudentiæ, ut pluribus probat Lipsius, *Civil. Doctrin. libro 1. capite 8.* sequitur Dominus Saavedra, *Symbol. 30. per totum*, & Dominus Solorgan. *emblemat. regiopol. 42. numero 3. & emblemat. 48. numero 38.* Experientia enim D. D. Laur. Marthæu, de *Re Crim. P. II.*

distare debuit necessitatem parendi, tranquillitatem stationis in egressu veris, & ingressu æstatis, ipsius maris quietæ dispositio atque cætera quæ periti in rebus maritimis observare solent. His positissimè manifestum fuisse resultat, quod non fuit concessa facultas absoluta ad liberos voluntatis morus, sed ad justæ voluntatis rationem, non merum arbitrium, violentum, stolidum sive cerebrinum, sed regulatum rationi naturali, justitiæ publicæ lege munitæ, amoris atque prudentiæ.

28 Et quantumvis in maritimis rebus nulla constantia reperitur, hujus inconstantia peritia in plurimis reperitur; ad hanc referenda est experientia cui commissa, inter cætera, facultas absoluta erat: si enim prænoferet temporis mutationem imminere, serenitatis in tempestatem conversionem, vel aliquid ex his, quæ periti observare solent; rectè quidem à mandatis discederet, sed dum omnia peccata reperiebantur, non ex eo quod de maritimis tractaret iustus, ipsius jussionis vis enervanda erat. Mandatum enim de portu; de navigatione, & re maritima tractabat: constitutio de ingressu per fauces portus agebat, ob quod non potest dici quod exculationem præberet periculum connaturale ipsius rei; nam dum omnia hæc contemplabantur, constitutio lata fuit, præceptum injunctum, & nihilominus, cautum quod omnes ex Indiarum Regnis advenientes portum intrare tenerentur. Ex quibus sequitur, quod periculum accidentale ex aëris mutatione, ex imminente tempestate, ex hostilitate amulorum hujus Monarchiæ, adesse debuit, ut excusatio comprobaretur. Nihil de his probatum, aut deductum fuit, ergo mandatum detrectavit ex meræ voluntatis affectu.

29 Et adhuc si concedamus, quod absolutæ voluntati commissa fuit forma appulsus, sive ingressus, non excusabatur à pœna. Nam licet ex hac commissione excusari possit à culpa levi, vel levissima, non excusatur à lata culpa, vel dolo, ut probant euncti Doctores quos pro sua defensione reus allegabat, & retulimus, *suprà numero quinto*, & sic quocunque modo sumatur, condemnandus erat.

30 Quod Navarchus fuisset in dolo probabatur, ex eo quod dolus est quid latens in animo, ut omnes juris Scriptores, Q9 3 notant



notant, in l. i. ff. de dolo, & sic non potest directè probari, sed præsumptionibus, & conjecturis, l. dolum, C. de dolo, si procuratorem. §. dolo, ff. mandat. l. aures, §. non simpliciter, ff. si quis omiff. caus. testam. cap. 2. de renunt. in 6. pluribus Farinacius, q. 88. numero 8. Xamar. de offic. Jud. p. 1. q. 17. numero 5. Tiber. Decian in tract. crim. lib. 1. c. 4. numero 14. Menoch. de præsumpt. lib. 5. præf. 3. num. 5. Larrea, allegat. 99. numero 4. cum seqq. Cartar. decis. 90. num. 66. D. Valençuela, consil. 171. num. 44. consil. 173. n. 53. & consil. 181. n. 31. Aug. Barbof. tom. 1. voto 19. n. 31. cum seqq. & aderant in nostra specie plures conjecturæ, & præsumptiones ex quibus dolus inferebatur.

31 Prima conjectura erat: nam in dolo est qui leges scienter transgreditur, Baldus, consil. 13. num. 3. lib. 3. Cravera, consil. 193. n. 3. Paris consil. 49. n. 33. Roman. consil. 437. n. 3. Rolan. consil. 14. num. 10. lib. 3. Mascart. dict. de probat. concl. 531. n. 47. Farin. q. 89. n. 77. Qui licet hæc limitet, num. 78. ad actum prohibendum, lege divina, vel naturali; limitatio procedit, quando neminem læserit, vel leviter; focus autem si læserit enormiter, vel graviter; & in hac specie læsio enormis, atque gravissima jactura fisco, & republicæ facta fuit: sic probat idem Farin. eadem q. 89. num. 82. Et ipse Navarchus non solum transgressus fuit legem generalem latam per dictam constitutionem anni 1664. quam se sciisse confitebatur, dum dixerat fuisse primum qui ei paruit: sed præceptum expressum Principis, per quod ei lex dabatur ad eam navigationem: in d. cap. 14. instructionis, ut ex dictis patet.

32 Secunda conjectura erat, quia ter monitus à giudice competenti, ut secundum prædictas Regias jussiones ingrederetur portum, ab initio dixit, se non ingressurum, nulla ratione, adhuc colorata, proposita, ut ex actis resultabat. Quod dolus, incorrigibilitatem, & animi destinationem demonstrat, Text. in l. non potest. 199. ff. de regul. jur. Giurb. consil. 33. n. 3. Fontanel. decis. 462. n. 9. & 10. Cartar. decis. 81. num. 35. & ex eo contumacia vera resultabat, Text. in l. contumacia 53. ff. de Judic. bene Revat. lib. de prorib. c. 3. circa med. Jacob. Cujas. lib. 18. observat. c. 30. sed quid ulterius queritur? verba dicti Text. clarissimè probant ibi: Non potest dolo carere qui imperio Magistratus non paruit, ubi Pet. Faber Revardus, & Gothofredus; pluribus Farinac. d. quest. 89. numero 116. & numero 142.

Tertia conjectura deducebatur ex eo, quod temporis qualitate inspecta per peritos, & eis attestantibus idoneam ad ingressum portus reperiri, sequi tenebatur. Text. in l. 2. C. sm. reguend. l. semel. C. de remilit. libro 12. Barthol. in l. quasitum, numero 2. vers. sed qualiter, & in l. contumacia, §. panam, ff. de re judic. aliis relatis Fontanel. la decis. 600. numero 5. Xamar. de offic. Jud. p. 3. quest. 5. numero 43. Nogueterol. allegat. 26. numero 233 pluribus Farinac. q. 127. numero 102. Cevallos, com. contr. com. q. 1. n. 24. & 25. Aded, ut licet ipse peritus reperiretur, non poterat ex sua peritia iudicium sumere, ut in simili tradit Xamar. d. q. 5. num. 44. sed si dubitabat peritiores adhibere, Gratia. discept. 163. in fin. cum aliis per me notatis tom. 2. de regim. Val. cap. 8. §. 5. num. 26. & 27. Qui enim omittit id quod facere tenetur, in dolo versatur, d. l. si procuratorem. §. dolo, ff. mandat. Socin. Senior. consil. 113. numero 5. libro 2. Cravet. consil. 115. num. 2. & consil. 193. num. 2. 35. Menoch. de præf. lib. 3. præf. 55. num. 10. & de arbitrar. cap. 208. n. 35. Bursat. consil. 94. num. 2. Mascard. de probat. concl. 531. n. 24. 52. & 71. Giurb. consil. 33. numero 4. Julii. Cartar. decis. 49. num. 26. & decis. 81. n. 37. Valençuel. consil. 94. num. 57. Neque id dubitare, aut ignorare potuit Navarchus, cum non semel, sed pluries classes duxisset, & sic notum erat ipsi, quod Magistratus adest in Portu ad recipiendam classem, quoties ejus adventus expectatur; cum Naucletis peritis in navigatione ad sumendum Portum (sicut tunc cum ipsis aderat) & adhibito Nauclero cuiusque ex navibus advenientibus, Portus faucem ingrediuntur. Non enim omnes Naucletri notam faucem habent, sed ij qui usu, & experientia frequentissima, peritiam hujus ingressus adepti sunt. Hæc facere contempnit, & his Naucletis asserentibus aditum securum sibi videri in die sequenti (nam tempore pomeridiano, quo ad littus pervenerat, refluxus jam inceperat; & fluxus necessarius erat ad ingressum) in eo quod supererat illius diei, poterat stationem meliorare, anchoras ponendo in sinu nuncupato, los pozos de Chipiona. Cuncta contemns ad sinum Gaditanum absque aliqua mora proram flectendo accessit; ex quibus notum reliquit animum, & propositum transgrediendi constitutionem, & præceptum delibere, & dolo, cum nulla diligentia ad parendum adhibita fuerit, neque rationem saltem coloratam proposuerit.

Neque

36 Neque his opponi possunt ea quæ per reum deducebantur: nempe tempus hibernum, de quo in d. c. 14. dum de redditu agitur, appositum non fuisse per modum causæ finalis, sed impulsivæ. Quia ultra quod quælibet dispositio interpretari debet per narrata in proœmio, quia ex eis desumitur intentio disponentis, & causa finalis totius dispositionis, Text. in l. final. ff. de hered. insti. l. 1. ff. ad Macedonian. l. item quia, §. ult. ff. de pact. plurib. D. Valen. consil. 119. n. 66. Capic. Galeot. contr. 50. n. 42. cum vulgatis collectis per Aug. Barbof. axiom. 192. n. 1. cum seq. Causa finalis dicitur illa, quæ si non interveniret, non moveretur disponent ad faciendum id quod fecit, aut non fecisset illo modo, Bald. Socin. Cravet. Bertran. Roland. & alii adducti per D. Valenç. consil. 112. n. 71. Marin. resol. quotid. 85. n. 3. lib. 1. Barbof. vot. 17. n. 75. & vot. 69. n. 6. lib. 1. Semper enim consideranda venit causa propter quam aliquid fuit dispositum, & finis qui in facto inspicitur, Text. in l. si quis neque causam, §. ff. de reb. cred. plurib. idem Valençuel. d. consil. 119. n. 56.

37 Et in dubio potius causa finalis quam impulsiva præsumitur. Idem D. Valenç. d. consil. 119. n. 77. præsertim quando dispositio fit per modum legis, Galeot. lib. 2. contr. 44. n. 12. Nam quælibet causa expressa per Principem in concessione præsumitur finalis, Azevedo, consil. 34. n. 14. & 38. Bonacin. de legib. disp. 1. qu. 2. punct. 10. §. 1. num. 5. Babof. vot. 84. n. 47. cum seqq. tom. 2. si enim in prima parte, d. c. 14. instructionis clarissimè Navarcho jubebatur, quod tempore reditus teneretur ingredi portum Alstæ cum universa classe, & cunctis navibus, observando ad unguem prælibatam constitutionem, & procurando omnimodam executionem ipsius, ita ut nulli diligentia parceret, ex summa necessitate, & convenientia capiendi portum, clarissimè sequitur, quod causa finalis facultatis concessæ ad ingrediendum sinum Gaditanum, fuit consideratio stationis hibernæ, in qua præsumebatur classem redituram ex Novo Orbe, quia ex periculorum imminencia, dum fluxus maris spectandus esset, quando nox per sexdecim horas durat, indulgeri posse videbatur convenientiæ ingrediendi portum, tanquam minimum periculum sive jacturam eligendo. At verò in portione æstiva anni, quando nox ut plurimum septem, aut octo horas durat, & omnia tranquilliter aguntur, cessat ra-

tio dispensandi: & his cessantibus, Princeps non concederet similem facultatem cum incompatibilis esset, cum præcepto ingrediendi portum, sub geminatis, & enixis verbis ibidem expresso. Quod amplius suadebatur ex eo quod suppositio, in eadem c. 14. contenta non attingendi diem mensis Maii ad solutionem classis, & redeundi ad ingressum stationis hibernæ; in causa fuit, ut à dictis recederet, dispensando in prædicta constitutione; sicut ex contextura ipsius c. 14. resultat: utrumque defecit, nam die 10. Junii classem solvit, & ad ingressum æstatis rediit, & sic cessante causa dispensationis, cessasse effectum dicendum est, Gloss. in leg. fin. verb. nuptiis, C. de donat. int. vir. & uxor. Cephal. consil. 143. n. 2. lib. 1. plur. Valençuela, consil. 130. num. 44. & consil. 168. n. 29. Galeot. contr. 59. n. 24. & 26. lib. 2. Marin. resol. quot. 87. n. 1. & 2. lib. 2. Barbof. d. vot. 17. num. 78. Præcipue animadverto, quod hæc in principio dispositionis apposta fuerunt, & sic influunt in omnes partes illius, Text. in leg. Titia 134. §. idem respondit, ff. de verb. oblig. ibi: Plerumque ea quæ præfationibus convenisse conspiciuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur. ubi Bartol. Bene August. Barbofa, vot. 87. num. 33. lib. 2. ubi plura.

Quibus additur, quod facultas appellandi ad Gaditanum sinum, sub expressa, & formali conditione concessa fuit, in d. c. 14. ibi. Quod si tempus fuerit ejus conditionis ut non possit capi Portus Astætæ, ingrederetur in sinu Gaditano: sive Hispano sermone: Que si el tiempo fuere de calidâ que no podais tomar a San Lúcar con seguridad, entrariis en Cadix: cum concepta hæc clausula reperitur sub ditione si, quæ importat expressam & formalem conditionem. Bartol. in l. 1. n. 1. vers. primo ergo, & n. 2. ff. de condit. & demonstr. Paris. Barzuius, Tusch. & alii adducti per C. Joan. del Castillo, tom. 4. contr. c. 55. ex n. 26. Quo posito in forma specifica, & ad unguem adimpleri debuit, Text. in l. qui heredi, & in l. Nevius, ff. de condit. & demonstr. Menoch. Mantica, Peregrin. Galganet. & alii apud eundem Castillo d. lib. 4. c. 25. n. 9. Quæ non solum procedunt in ultimis voluntatibus, sed in contractibus, legibus & quibuscumque dispositionibus, pluribus Barbof. axiomat. 48. n. 1. cum seqq. Et cum ea per modum causæ finalis, & conditionis adjecta sint, deficiente conditione deficit

Q9 4

dispo



dispositio, ita ut nullum fortiatu effectum, d. l. qui heredi, d. t. Mavius, ff. de condit. & demonst. pluribus Barbo. ubi proximè, Galeot. contr. 10. n. 10. lib. 2. Neque ex verbis subsequentibus ea destruebantur. Nam facultas relicta conscientie, zelo, & experientia Navarchi in eadem oratione reperitur, sub conditione prælibata, quæ regitur ab uno & eodem verbo, nempe Concedimus, & sic facultas ipsa dependens ab ea conditione data fuit: atque aded, dum reditus classis non evenisset tempore quo non poterat ingredi portum tutè, & securè, nil concessum fuit, per quod derogata, sive dispensata conferretur constitutio anni 1664.

44 Ac tandem non obstat, quod quælibet causa etiam injusta sufficiens sit ad excusandum à dolo, & à pœna, ut cum Claro, Marfil. Menoch. & aliis probat Cartar. decis. n. 37. & decis. 44. n. 38. Neque probabatur sufficientem causam habuisse ex credulitate facultatis absolute concessæ, in d. c. 14. Nam licet verum sit, quod quælibet causa excusat, hoc non procedit absolute, sed quando causa colorata est, & adhuc fallit in pluribus.

Primo quando causa injusta continet 45 errorem juris notorii, docent Angel. Imola, & Cumanus, in l. lex consensu §. fin. ff. de appellat. idem Angel. in l. plagii 4. ff. ad leg. Fab. de plag. pluribus Farinac. g. 90. num. 51. Cartar. d. decis. n. 218. qui num. 221. probat, quod hæc procedunt etiam si quis delinquit circa ea quæ sunt juris civilis notorii. Et notorietas negari non poterat, cum dicta constitutio omnibus navigantibus ad Novum Orbem notoria sit, & ipse Navarchus allegabat se primum fuisse, quæ ei paruerat.

46 Secundò, non procedit conclusio, quando agitur de pœna extraordinaria & pecuniaria. Jason, in l. justè possidet, ff. de acquir. possess. Alexand. Roland. & alii quos sequitur Cartar. d. decis. 44. n. 39. Nam ad excusandum ab hac pœna requiritur causa justa. Et nulla probata aut deducta fuit per Navarchum præter incertitudinem, atque inconstantiam naturalem rei maritimæ, quæ si attendenda esset, nullius momenti forent tot, tantæque leges, constitutiones, & rescripta, de re ipsa maritima latæ, quod valde alienum est à recta ratione.

47 Tertio, quia dicta regula non excusat à pœna debita ex contemptu Magistratus aut Judicis, Gloss. in l. 1. §. fin. ff. si quis jus dicenti non obtemper. Angel. ibid.

n. 13. Jason, Cagnol. & Gabriel adducti per Far. d. g. 90. n. 71. Cartar. d. decis. 44. n. 41. vers. quarta ratio Giurba, d. consil. 33. num. 2. Et contemptus magistratus, ter Navarchum requirentis, quod ingrederetur portum, plenè comprobabatur in actis.

Quarto, quia dicta regula limitatur 48 in pœna ipsa ordinaria, ita ut omnes Doctores de re criminali scribentes, quos refert & lequitur Farin. d. g. 90. n. 55. teneant, quod ex causa injusta reus potest vitare pœnam acerbam, non verò pœnam extraordinariam. Et sic decisum fuit: nam Senatus Navarchum condemnavit ad pœnam suspensionis per biennium, duorum mille aureorum, sententiâ diei 23. Octobris 1670. & in gradu supplicationis condemnatus fuit ad solvendum sex mille aureos, pœna suspensionis in pecuniaria commutata, sententiâ diei 11. Januarii anni 1671.

#### CONTROVERSIA LXIV.

De Jurisdictione Proregum Novi Orbis, ad committendam inquisitionem criminis patrati per Praetorem alicujus Provinciae, durante termino officii.

#### SUMMARIUM.

- 1 Facti species traditur, & n. 2. & 3.
- 4 Prorex solus non potest Judices Pelquisi-dores mittere, sed ex deliberatione consensus Audientie, & n. 15.
- 6 Prorex representat Regem, sed in aliquibus limitatam habet jurisdictionem, & potestatem.
- 6 Acta corrumpunt insanabiliter ex defectu jurisdictionis.
- 7 Nullitas ex defectu jurisdictionis sic red-dit judicium nullum, ut neque sententia, neque res judicata dici possit quod sequitur.
- 8 Praefectus Curia alicujus Audientie in prima instantia, non potest inquirere pro delicto commisso extra quinque leucas in circuitu Metropolis.
- 9 Excipe casus Curia de quibus cognoscunt Praefecti Curia in toto districtu.
- 10 Praefectus Curia extra Curiam nullam exercet jurisdictionem ex se.
- 11 Casus Curia debet aliquo modo probari, ut pro tali reputetur, & n. 13.
- 12 Judices Pelquisidores sub qua forma nominandi, & expediendi sint.

14. Dote

14 Domestici expulsi non sunt idonei testes contra Dominum.

16 Proreges immediate representant Regem in omnibus, cum plenitudine potestatis, & jurisdictione omnimoda in Regnis sibi commissis.

17 Proreges tanquam Locumtenentes Regis possunt quicquid ipsa persona Regia juxta rescripta.

18 Rex est fons atque origo Jurisdictionis in omnibus Regnis.

19 Proreges in Novo Orbe, sunt rivuli deducti ex hoc fonte, per quos omnis jurisdictionis dimanat.

20 Proreges hanc potestatem, & jurisdictionem habent, circumscriptam regula recti.

Rex eandem regulam observat, quamvis non sit qui cogat. ibid.

21 Praefecti Regia Domus, & Curia Regem comitantes per Regnum, exercent omnem jurisdictionem per quinque leucas in circuitu.

22 Rex est Ordinarius Ordinariarum, & mediante Praefecto Curia, quem secum ducit, exercet jurisdictionem, absque injuria alterius tribunalis.

23 Visitatio Regnorum instituta est, ut cuncta, quæ auctoritatem Regis expostulant, sui presentia moderetur, ac temperet.

24 Proreges Novi Orbis dum Provincias sibi conceditas lustrant, Regium Ministrum togatum, vel alium litteratum virum in comitatu ducere debent, cujus consilio ea quæ Justitiae sunt, expediuntur.

25 Prorex potuit causam Praetoris, per quemcumque ministrum justitiae inquirere, atque, eo in culpa reperto, punire.

26 Prorex dum iussit causam Praetoris inquirere, & judicium Audientiae reservari, non misit Judicem Pelquistorem.

27 Proreges possunt per se causas Indorum breviter expedire, adhibito viro litterato, loco Aseforis.

28 Prorex per se solus potest dare iudices ad inquirendum gravamina Indorum.

29 Proregum arctissima obligatio in indagandis gravaminibus Indorum, & eis subveniendis.

30 In remotis provinciis Novi Orbis, non juris stricta norma, sed ex aequo, & bono lites judicande salubriter sunt.

31 Cause criminum atrociorum ad Tribunal, Regem representant, pertinent.

32 Casus Curia, qui in Hispania ad Regis cognitionem, sive ad Regios Senatus

spectant, in Regnis Novi Orbis ad Regias Audientias.

33 In casu Curia notorio, neque probatio, neque informatio requiritur, ut Causa in Regis Audientia assumatur.

34 In casu Curia minime notorio, raro documenta solemniter videntur, nam committi solet cognitio ad regium Auditorem Hebdomadarium.

35 Casus Curia notorius est, homicidium insidiosè patratum, & maxime, per Praetorem, vel alium judicem.

36 Parricidium inter enormissima crimina annumeratur.

37 Homicidium patratum propinatione veneni, atrocissimum, & proditorium est.

38 Pater necare potest filiam, & adulterum, sed excusatio procedit si eos deprehendit in turpitudine, secus si de ea non constat.

39 L. nec jure 22. in fin. ff. ad leg. Jul. de adulter. expenditur.

40 Patri ulcisci permittitur adulterium filiae, non stuprum.

41 Cujacius adducitur eleganter tradens differentiam affectus inter patrem, & maritum per adulterium.

42 Licentiam occidendi solum concedit lex cui praesumit raro, aut nunquam eam ad exercitium perducendum esse.

43 Patri solum permittitur filiam deprehensam in adulterio occidere, in continentia.

Hæc licentia non extenditur ad filiam stuprum passam.

44 Pater minister legis fit ad exequendam pœnam capitalem in filiam.

45 Occidens Bannitum minister etiam legis est.

46 Judex non potest uti veneno ad criminandum necandum.

47 Pater filiam in adulterio deprehensam non potest necare veneno; quia ferrum illi porrigitur, non poculum, à lege.

48 Bannitus impune non occiditur veneno.

49 Occidens veneno Bannitum, tanquam verus homicida, & proditor punitur.

50 Judex non potest fungi officio tabellionis, vel actuarii.

51 Judex in causa propria nemo esse potest.

52 Offensus, & inimicus, iudices esse non possunt.

53 Judex, potest cognoscere de injuria sibi illata ratione officii tantum, & quando notoriè constat de ea, & pœna determinata est per legem, secus si aliquid ex his deficiat.

Judex